



**Rev. Patr. Joannis Laurentii Berti, Ord. Eremit. S.
Augustini, Theologia Historico-Dogmatico-Scholastica,
Seu Libri, De Theologicis Disciplinis**

Berti, Giovanni Lorenzo

Monachii [u.a.], 1750

Caput VII. In quo agitur de Clandestinis conjugiiis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-83714](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-83714)

tus alienæ sponsæ, mors illata uxori, vel sacerdoti, propriæ prolis susceptio, matrimonium cum moniali attentatum, aliæque omnia, quæ publicæ penitentia subijciuntur; hujus enim tempore inhiberetur erat matrimonium contrahere, ut diximus de Publica penit. in hoc volumine pag. 213. Postquam vero penitentia publica abiit in desuetudinem; ea tantummodo crimina attendi solent, quæ matrimonium dirimunt, de quibus hoc eodem capite disseruimus. V. *Sponsalia* faciunt, ut matrimonium

cum alia muliere initum culpa non careat, cum non sit absque promissorum violatione: illud tamen non dirimunt, quoniam vinculum conjugii, quod per *verba de presenti* contrahitur, arctius est futurarum nuptiarum sponcione. Vide quæ diximus de impedimento *ligaminis*, & quæ de *sponsalibus* afferuntur capite nono. *Votum* tandem, quod matrimonium impedit, sed non dirimit, esse votum simplex castitatis, emissum extra Societatem Jesu, ex hoc ipso capite apertum est.

CAPUT VII.

In quo agitur de Clandestinis conjugiiis.

SUMMARIUM.

1. Quid sit matrimonium clandestinum?
2. Ante Tridentinum fuit validum,
3. & 4. Semper tamen Ecclesia illud detestata est,
5. Potuit Tridentinum talia matrimonia declarare irrita, & bene fecit ea annullando,
6. & 7. Objectionum solutio.

CONnumeravimus inter impedimenta matrimonii clandestinum conjugium; de quo hac brevi dissertatione tractandum est singillatim. *Clandestinum* itaque dicitur, quod clam & in secreto peragitur: unde *clandestina colloquia* inquit Cicero de Senect. *clandestina consilia* VII. Belli Gall. Cæsar; *clandestinam suspicionem* Plautus Amphit. 5. Hoc in loco *matrimonium clandestinum* dicimus quod absque solemnibus formis præscripta a Concilio Lateranensi IV. cap. 51. & confirmata a Tridentino sess. XXIV. de Reformat. matrim. cap. 1. idest absque præmissis in Ecclesia proclamationibus, & aliter quam præsentem Parocho, vel alio Sacerdote de ipsius Parochi seu Ordinarii licentia, & duobus vel tribus testibus contrahitur. Sed quoniam Tridentinum ibidem docet posse proclamationes omitti, si id Ordinarius judicaverit expedire; contractus autem matrimoniales sine Parocho & sine testibus factos, *irritos ac nullos* sacrosancta Synodus aperte declarat: hinc denunciations præmittendæ sunt quidem, ut dicam postea, sed illarum prætermisio non est, quemadmodum Parochi ac testium absentia, ipsius matrimonii dirimens impedimentum. Quia insuper hæc clandestina conjugia facta libero contrahentium consensu fuisse rata & vera matrimonia, *quamdiu Ecclesia ea irrita non fecit*, initio ejusdem capitis testatur ipsa Synodus Tridentina; &

aliunde non potest Ecclesia mutare quæ spectant ad sacramentorum *substantiam*, idest, *ad materiam & formam*, prout colligitur ex ipsomet Concilio sess. XXI. cap. 2. merito queritur, an revera post illam Generalis Synodi definitionem eadem clandestina conjugia sint rata, quum in illis appareat *materia*, quæ antea sufficiens erat, videlicet, liber contrahentium consensus.

Dixi nonnulla de hac quæstione libro XXX. cap. 10. atque hoc ipso in quo versamur, cap. 5. Nunc eadem illustraturus primum fateor ante Tridentinam Synodum clandestina connubia rata fuisse; nam Lateranensis IV. eadem quidem improbavit, sed tamen irrita esse non definivit, neque ante Tridentinum Concilium Ecclesia unquam eadem matrimonia voluit dirimere, ut cum permultis Theologis in IV. dist. 28. §. 7. inquit Estius. Est tamen quorundam opinio, ac præsertim Gentiani Herveti in Oratione ad Tridentinum Conc. Ferdinandi Mendozæ lib. 3. de Confirm. Conc. Illib. cap. 32. & nostri Poncii lib. V. de Matrim. cap. 3. quod præcis Ecclesiæ sæculis hujusmodi clandestina conjugia irrita & nulla fuerint, sed postmodum antiquas leges in desuetudinem abiisse, adeo, ut plurimum sæculorum intervallo rata & legitima fuerint, donec rursus Tridentini Patres illa prorsus illegitima & irrita esse statuerunt.

2. Ante Tridentinum fuit validum.

tuerunt. Ceterum & qui hoc sentiunt, fatentur, ut constat, diu matrimonium clandestinum fuisse ratum. Id ergo ultro lubenterque fatendum est; ac præterea concedendum, adhuc clandestina matrimonia contracta sine forma a Tridentinis Patribus præscripta, esse valida ubicunque ipsum Tridentinum promulgatum non fuit, quoniam Tridentinum ipsum Concilium declaravit suam de clandestinis coniubiis definitionem in unaquaque parochia suum robur habere post triginta dies a die primæ publicationis in eadem parochia factæ. Quidam ajunt humanas leges numquam obligare nisi acceptentur: sed horum opinionem exagitavimus capite 13. libri vigesimi.

3.
Semper tamen Ecclesia illud detestata est.

PROP. I. Quamquam clandestinæ nuptiæ ante Tridentinum ratæ fuerint, semper tamen illas Ecclesia Christi detestata est.

Fuisse clandestina conjugia olim rata, nec juri naturali repugnantia, constat primum ex cap. 3. prop. 2. in qua demonstravimus juxta legem naturæ sufficere ad matrimonium contrahendum liberum eorum consensum, de quorum conjunctionibus agit. Secundo ex Jure Canonico, ac præsertim ex capp. *Matrimonium quidem. Sufficiat. Omnis res. XXVII. q. 2.* atque ex capp. *Si quis clam, & Quod nobis, De clandestina desponsat.* scilicet in IV. Decret. tit. 3. Insuper ex Tridentina Synodo, cujus præcit. cap. 1. hæc sunt verba: *Tametsi dubitandum non est clandestina matrimonia libero contrahentium consensu facta, rata & vera esse matrimonia, quamdiu Ecclesia ea irrita non fecit, &c.* Potestremo ex ratione, eo quod nihil magis naturæ consentamen sit, quam ut unus sponte ac libere conjugem sese tradat alteri, & individuum vitæ consuetudinem cum ipso ineat; omnia vero quæ ulterius ad pactiorem hanc & necessitudinem stabiliendam addita fuere, humani sint instituti.

4.
Probatur.

Ceterum Ecclesiam semper detestatum fuisse hujus generis matrimonia probatur 1. ex cap. *Aliter, XXX. q. 5.* deprompto ex Epistola Isidoriana Evaristi, ubi legitur: *Aliter legitimum non fit conjugium, nisi ab his, qui super ipsam feminam dominationem habere videntur & a quibus custoditur, uxor petatur, a parentibus & propinquieribus sponsetur, & legibus dotetur, & suo tempore sacerdotialiter (ut mos est) cum precibus & oblationibus a sacerdote benedicatur. Et*

infra, Ita peracta legitima scitote esse connubia: aliter vero præsumpta, non conjugia, sed adulteria, vel contubernia, vel supra, aut fornicationes potius, quam legitima conjugia esse non dubitate; nisi voluntas propria suffragaverit, & vota succurrerint legitima. Hoc canone Basilii noster, alique prælaudati existimarunt, ut præmonui, clandestinum matrimonium primis Ecclesiæ sæculis fuisse nullum. At revera non ita res est: illinc enim non aliud inferas, nisi clam contrahentes violasse decreta ab Ecclesia, & Imperatoriis quoque legibus lata pro matrimonii solemnitate atque honestate; & desponsationes illas clandestinas in se inspectas non habere unde distinguantur ab illegitimis contuberniis, ac in reipublicæ conspectu eadem turpitudinis speciem præferre, ac adulteria & incesta connubia, tametsi propria voluntate ratæ esse queant & firmissimæ. Eodem sensu inquit in lib. de Pudicit. Tertullianus cap. 4. *Penes nos occultæ quoque conjunctiones, id est, non prius apud Ecclesiam professe juxta mæchiam & fornicationem judicari periclitantur.* Accedunt canones connubia hujusmodi clandestina inhibentes, ut cap. *Nullus fidelis*, quod a Gratiano XXX. q. 5. n. 2. tribuitur Hormisdæ: & cap. *Nostrates*, ibidem, exscriptum ex Epistola Nicolai I. ad Consulta Bulgarorum. Jure quoque Cæsareo clandestinæ desponsationes improbantur I. *uxorem C. de repudiis*; nuptiisque Ethnicorum aderat sacerdos Cereris, ut litteris consignarunt qui de *Ritu nuptiarum* ediderunt erudita commentaria, Joannes Baptista Cafalius, de Joseph Laurentius Lucensis. Præterea Innoc. III. & Concilium IV. Lateranense illegitimam declaravit sobolem ex clandestinis, vel interdictis conjugii susceptam, cap. *Cum inhibitio. §. Si quis vero, De Claud. desp. n. 3.* ac demum Tridentina Synodus cit. cap. 1. animadvertit gravia peccata ex eisdem clandestinis conjugii ortum habere: *præsertim vero eorum, qui in statu damnationis permanent, dum priore uxore, cum qua clam contraxerant relicta, cum alia palam contrahunt, & cum ea in perpetuo adulterio vivunt.*

PROP. II. Potuit Tridentinum Concilium nulla & irrita declarare clandestina conjugia, ac talia declarando optime se gessit; ideoque post hujus Concilii sacrosancta decreta non solum hujusmodi conjugia noxia & illicita sunt, verum etiam irrita prorsus ac nulla.

5.
Potuit Tridentinum talia matrimonia declarare irrita, & bene fecit ea annullando.

Demonstro propositionis priorem partem; ex ista enim reliquæ suapte natura consequuntur. Ac principio, ut dictum est precedenti cap. 5. quamvis Christus Dominus pro hujus sacramenti materia constituerit contractum civilem, qui naturali jure exigit liberum contrahentium consensum; non excedit tamen auctoritatis Ecclesiasticæ limites, talem formam conditionemque præscribere, qua non apposita censeantur personæ inhabiles ad contrahendum; nec propterea quod hanc formam conditionemque constituat Ecclesia, dicenda est materia a Domino determinatam inmutasse, quoniam eadem materia est contractus civilis, de cujus ratione est, ut præter consensum liberum, quem exigit jure naturæ, subjiciatur dispositioni legum humanarum, a quibus præscribuntur aliæ conditiones, sine quibus ad contractum corroborandum nudus consensus non sufficit. Atqui hoc tantummodo præstitit Tridentina Synodus prohibendo clandestinum conjugium: siquidem præter liberum contrahentium consensum, quem exigit jus naturæ, præscripsit præsentiam Parochi ac testium, atque sine hac forma aut conditione declaravit personas ad contrahendum inhabiles. Igitur Tridentinum Concilium irrita ac nulla declarando matrimonia clandestina nequaquam potestatis suæ excessit limites. Probatur major manifestis comparationibus. Etenim religiosa professio si fiat in aliquo Ordine ab Ecclesia approbato ante decimum sextum ætatis annum, nulla declaratur a Patribus Tridentinis sess. XXV. de Reg. cap. 15. extantque vetustiora decreta pariter professionem hujusmodi irritam declarantia, si emittatur ante certam ætatem, ut constat ex capp. *Ad nostram*, & *Significatum est*, in 3. Decretal. tit. 31. de Regularibus, nec non ex cap. *Is, qui monasterium*, eod. tit. in Sexto. Quamvis itidem matrimonia inter consanguineos & consobrinos legi naturæ non adversentur; nulla sunt tamen Ecclesiastico jure, prout dictum est precedenti capite: & licet confessio facta Sacerdoti jurisdictionem habenti sit sacramenti Pœnitentiæ idonea materia; nihilo tamen minus quia jurisdictionem conferre attinet ad Ecclesiam, hæc jure suo statuit ut quædam peccata a presbyteris solvantur, quædam vero summis sacerdotibus referrentur: ita nimirum, quoniam sicut jurisdictionem ampliare vel coarctare, sic prorsus impedimenta matrimonii relaxare aut inducere, minus est

Ecclesiasticæ potestatis. Addamus exemplum magis comòdum ex ipsa natura contractuum. Quicquid jus naturæ præscribit de libero contrahentium assensu in contractibus matrimonialibus, idem profecto statuit de contractibus reliquis, V. G. venditionis, & alienationis. Jure autem humano nulli sunt contractus ejusmodi vel a prodigo, vel a pupillo facti, nisi sub certa forma civili jure præscripta, l. 1. ff. De curat. furiosi, & l. *Pupillus*, ff. de regulis juris. Ut ergo jure civili personæ quædam declarantur inhabiles ad contrahendum, non inmutato jure naturæ circa substantiam contractus; ita jure Ecclesiastico qui clam ducunt feminam in conjugem, redduntur ad conjugium inepti, contractus matrimonialis substantia minime variata. Præterea demonstratur propositio ex quo contractus civilis ad bonum comūne dirigi debeat; ea enim, quæ ad commune bonum diriguntur, subjici debent legibus humanis, quibus jure naturali non inmutato, apponantur certæ conditiones, sine quibus idem comūne bonum sumopere læderetur: quemadmodum nuper dixi de priorum bonorum alienatione, quæ etiam si fiat secundum modos legitimos legis naturæ, sine quibusdam tamen conditionibus irrita humanis legibus redditur, propterea quod iisdem conditionibus non apposis conseq̄i potest jactura rei domesticæ, filiorum egestas, familiarumque depressio. Ex contractu autem matrimoniali clandestine inito non tantum civilis status detrimentum, verum etiam plurium bonorum oriri potest amissio; siquidem inde non semel labefactatur læditurque unitas cognitionum, fides conjugalis, beneficium prolis, & gratia sacramenti, prout in disputationibus habitis in Tridentino Concilio Patres ac Theologi demonstrarunt. Vide Hist. Pallav. lib. XXII. c. 4. Neque id obscurum est, atque ad demonstrandum difficile. Etenimvero si conjugum alter possit arbitrato suo denegare nodum maritalem, ut revera potest, si absque ullo teste contraxerit; jam uxorem dimittere, atque adulteram uxoris loco in torum adducere, & liberos legitimos tanquam nothos despiciere, nothosque legitimis anteferre in ejus erit arbitrio; quod idem est, ac detrimenta nuperrime commemorata afferre christianæ reipublicæ. Atque hinc inferitur propositio pars altera, in qua dixi clandestina conjugia esse noxia quoque & illicita.

illicita, Et revera Tridentina Synodus sess. XXIV. de Reform. c. 1. declarat se ad clandestinum contractum nulum irritumque decernendum moveri ob gravia peccata, que ex clandestinis conjugis ortum habent: præsertim vero eorum, qui in statu damnationis permanent, dum priore uxore, cum qua clam contraxerant relicta, cum alia palam contrahunt, & cum ea in perpetuo adulterio vivunt: quod & alii canones, Patresque tradunt, ut priori propositione dictum est. Postremo hæc conjugia esse irrita constat: inquit enim eo loci Synodus sacrosancta: *Qui aliter, quam presente paroco, vel alio sacerdote de ipsius Parochi, seu Ordinarii licentia, & duobus vel tribus testibus, matrimonium contrahere attentabunt: eos sancta Synodus ad sic contrahendum omnino inhabiles reddit: & hujusmodi contractus nullos & irritos esse decernit, prout eos præsentis decreto irritos facit, & annullat.* In hæc autem definitione Ecclesiam non excessisse auctoritatis sæ fines comonstrant superiora argumenta, necnon quæ supra de impedimentis antiquitus constitutis disseruimus: ex quibus manifestum est, ipsam Ecclesiam non semel duos homines ineptos declarasse ad quovis modo contrahendum, puta consanguineos, affines, uxoricidas. Quis vero, nisi ratione omnino careat, affirmabit non habere facultatem statuendi certum contrahendi modum eandem Ecclesiam, si potest nonnullis absolute præscribere ne aliquo modo contrahant.

6.
Objectiones.

At objicies: Principio decretum adversus clandestina conjugia in Tridentina Synodo latum est, præcipuis ac præstantissimis Patribus repugnantibus, inter quos Cardinales Ludovicus Simonetta Concilii Legatus, Cardinalis Jo. Moronus Legatus alter, Cardinalis Madrutius, Antonius Patriarcha Jerosolymitanus, aliique plurimi, ut lib. XXXIII. c. 9. fatetur Pallavicinus. In eo in decreto illo pugnantia & absurda leguntur: ibi enim asseritur clandestina matrimonia rata & vera fuisse, *quandiu Ecclesia ea irrita non fecit; tum subjicitur, nihilominus sancta Dei Ecclesia ex justissimis causis illa semper detestata est, atque prohibuit.* Quid vero absurdius, quam Ecclesiam Dei semper detestatam fuisse vera sacramenta? Hæc objicit in Historia Concilii Paulus Sarpi. Deinde vero, si matrimonia clandestina olim consisto-

bant, & quidem jure naturæ, necessum est ut etiamnum rata sint; quandoquidem jus naturæ nulla Ecclesiastica definitione perverti potest. Ad hæc, ut sæpe diximus, Ecclesia non potest mutare materiam sacramentorum; ideoque nec facere quin contractus clandestinus, si fuit aliquando materia sufficiens matrimonii, etiamnum non sit talis. Præterea, si Parochi, ac testium præsentia semper necessaria non fuit ad matrimonii contractum; eadem præsentia non spectat ad invariabilem contractus substantiam, sed accidentaria est, atque adventitia. At Ecclesia facere nequit, ut ad essentiam sacramenti pertineat quod illi est duntaxat accidentale: alioqui possit irritum reddere baptismum, & quodlibet aliud sacramentum absque rituum solemnitate collatum. Tandem ex Tridentini definitione deterius incommodum derivavit; ubi enim clandestine contrahentes innoxie, & tanquam veri conjuges conveniebant; postea hujusmodi conjugia attentantes perpetuo fornicationis crimine maculantur: atque hujus generis sunt fere omnia hæreticorum conjugia, absque decretis a Tridentino conditionibus inita.

Rep. ad 1. Tridentinos omnes Patres, diligentius discussa, & Summi Pontificis, cui laudati Cardinales opinionem suam subjecerant, agnita approbatione, in eandem sententiam descendisse; ut citato c. 9. n. 5. demonstrat Pallavicinus. Nec in Tridentini decreto absurdi aliquid invenitur; non enim sancta Dei Ecclesiæ detestabatur antea clandestina conjugia, his in se spectatis, & ob sacramenti rationem (cum tamen an sacramenta fuerint, res sit ambigua, & oppositum doceant qui hujus sacramenti ministrum esse sacerdotem propugnant) sed attentata contrahentium nequitia, quo sensu excramur sacramenta qualibet sacrilege, aut pravo animo administrata, aut suscepta. Atque hinc apparet oppositionem primam nugis ineptisque constare. At ceteris abunde satisfactum est supra. Diximus enim non perverti, sed confirmari potius jus naturæ, quando præter id, quod ipsum jus naturæ præscripsit, humanis legibus apponuntur conditiones ad commune bonum directæ; prout constat in contractibus venditionis, & alienationis propriorum bonorum, atque in exemplis aliis, de quibus supra. Neque enim lex naturæ præcipiens ut

con-

contractus liberrime fiant, vetat ne adiciantur propter publicum commodum conditiones aliqua, nec licentia eorum qui libertate abutuntur valeat contineri & compesci, id, quod esset velle exitium atque perniciem, non utilitatem & commodum Reipublicae. His vero secunda obiectio evanescit. Nam ad tertiam semel iterumque dictum est, nunc quoque contractum civilem esse huius sacramenti materiam, neque hanc censendam esse immutatam, propterea quod Ecclesia certis saluberrimis conditionibus fecerit ne aliqui sint ad contrahendum idonei. Diluitur eadem ratione obiectio consequens: quamquam enim praesentia Parochi vel aliorum non fuerit semper necessaria ad substantiam contractus; semper tamen necessarium fuit, ut contractum inirent personae legitimae; Ecclesia autem praesentiam illam requirit, ut personae sint habiles ad contrahendum, non autem ut contractus sit actus humanus & liber, eo pacto, quo ademit-

tendam professionem exigit certum annorum numerum, ut qui professionem emittunt, juxta canonum statuta habiles sint atque idonei. Ad oppositionem ultimam dicimus, Tridentinam Synodum damnando clam destina conjugia consuluisse vinculo fideique maritali, bono legitima proli, & sacramenti gratiae & sanctitatis neque hinc fornicationi patere aditum, cum ubicunque haec synodus pomulgata est, sciant omnes nuptias clam initas aequae, ac adulteria & moechiam, reprobari. E contra haud leve adversus fornicationem remedium est, cavere ne tanquam uxores impune scorta pellicesque detineantur. Ad haereticos quod attinet, etsi nil commodi ex propria inobedientia & perfidia percipere mereantur, eis tamen Apostolicae Sedis cura, & sollicitudine provifum fuit, prout proximo capite sum dicturus.

CAPUT VIII.

De matrimoniis haereticorum, quae praesertim contrahuntur in Hollandia, & foederatis Belgii provinciis, atque de BENEDICTI XIV. Constitutione, qua haec controversia tandem finita est.

SUMMARIUM.

1. Matrimonium Catholicum cum Haeretico est validum, sed illicitum.
2. Cur sint valida?
3. Demonstratur ea esse illicita.
4. Adeo, ut juxta aliquos repugnent juri naturali.

5. Matrimonia in Hollandia &c. contracta coram magistratu aliqui dicunt nulla.
6. Alii agnoscunt ut valida.
7. Opiniones Doctorum.
8. Decisio Summi Pontificis BENEDICTI XIV.

1. Matrimonium Catholicum cum Haeretico est validum, sed illicitum.

Circa matrimonium Catholicum viri cum muliere haeretica, vel e contra mulieris catholicae cum viro haeretico, omnes fere Theologi convalidum, sentiunt, valida quidem esse, sed noxia & illicita: ita nempe sentiunt innumeri illi auctores, quos laudant Sanchez lib. 7. disp. 72. & Basilius Ponticus in Appendice c. 1. alique omnes, qui post horum tempora floruerunt. Et quidem haec matrimonia valida esse demonstratur, quoniam nulla profus

lege decernitur nulla & irrita esse: non lege naturali, quoniam ut supra diximus, exemplisque veterum Patriarcharum, necnon celeberrimarum mulierum Monnica & Laetae confirmavimus, disparitas cultus non fuit olim impedimentum conjugia dirimens: non divina lege, nam quod Apostolus Paulus, multorumque Patrum traditio reprobet hujusmodi matrimonia, illicita quidem & flagitiosa ea demonstrat, non autem nulla: non demum Eccle-